



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

2 Vicariatus episcopi sine simonia emi nequit, sic tamen emens non est excommunicatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

diligentia de bonitate dictarum actionum inquirere, a censura excommunicationis, & penis, quas incurreret beneficiarius, excusat, ex Na. in Man. c. 23. nu. 45. & c. 227. nu. 172.

DECISIO CIV.

Ex cons. 99. in Novis, deest in antiq.

104 **S**imonæ realis mediator fructus beneficii quæsi alteri ex causa suæ meditationis malè perceptos restituere tenetur; sic autem ignoranter bona fide de huiusmodi beneficio prouisus, quamuis titulum non acquirit, vnde & beneficium per alienam simoniam sibi acquisitum dimittere tenetur, c. Nobis, cap. ex insinuatione, & c. de simoniacè. de simon. fructus tamen si sunt industriales, quales vt plurimū sunt fructus beneficiorum, cum cultura, & opera beneficiarij quarantur, ex Pan. in ca. Grauis, nume. 6. de restit. spoliat. etiam extantes, vel ex quibus locupletior factus est, facit suos, Naturales autem extantes, ut quibus factus est ditor, non ecclesiæ, sed ei, cui primo beneficium legitimè confertur, restituere debet arg. c. cum vos. de off. ordin. & cap. Quia sæpe. de elect. & ideo si huiusmodi ignoranter per simoniam promotus, post renuntiationem a se factam fuerit reprobatus, vel a Sede Apostolica illius retentionem obtinuerit, fructus illos, vt primus qui canonicè succedit, faciet suos.

TITVLVS III.

Ne prælati vices suas, vel ecclesias, sub annuo censu concedant.

SUMMARIUM.

- 1 Iurisdictionem temporalem emendo, an, & quandoquidem mortaliter peccat.
- 2 Vicariatus episcopi sine simonia emi nequit, sic tamen emens non est excommunicatus.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 22. de empt. & vend.

1 **M**ens pretio, officia quædam temporalia iudicandi ab eis qui poterant ea ipsi gratis conferre, mortaliter peccat, legem transgressus, Auth. vt iudices sine quo suffi. col. lat. 2. & etiam consentiens, & causa existens vt collator eorum accipiendo pecuniam peccat, cum sit turpe lucrum; ex Pan. in c. 1. & 2. Ne prælat. vic. & Nau. in Man. ca. 25. num. 7. Nisi certa modificatione ea vendant, nimirum honesto pretio, & personis idoneis; ex S. Thom. ex opus. 2. 1. Huiusmodi tamen iudicandi munus iuste exercendo non peccat, & illud retinere potest, nec quæsi per iustum exercitium prælatorum officiorum restituere tenetur; secus autem, si aliquid iniuste acquirat: ita Nau. in Man. c. 17. num. 3.

DECISIO II.

Ex cons. 2. in utrisque.

Canonici Sede vacante convenientes circa electionem Vicarij, & paciscentes, vt quicumque eorum eligitur Vicarius, tam salariū ei ratione Vicariatus soluendum, quam omne aliud emolumentum Vicario Episcopi solui solitum, inter se, & alios Canonicos æqualiter diuideret teneatur, & vnus eorum postea electus, huiusmodi pactum seruans, & vnicuique eorum singula æqualiter diuidens simoniam omnes realem admittunt; Cum Vicariatus generalis Episcopi, & cuiuslibet alterius prælati res spiritualis sit, ca. 1. & 2. Ne prælat. vic. suas excommunicationem tamen non incurrunt; Extrauag. 2. de simon. cum hæc solum contra simoniacos in ordine, vel beneficio lata sit, quale non est vicariatus officium, vnde nec irregulares celebrando efficiuntur.

TITVLVS IV.

De Magistris.

SUMMARIUM.

1 Lector sacre scriptura etiam in cathedralibus regularibus ponendus.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtr. sque.

1 **I**n ecclesijs cathedralibus, tam regularibus, quam secularibus lector sacre scriptura ponendus est, ex Concl. Trid. sess. 5. c. 1. de refor. vbi autem eadem ecclesia, & cathedralis, & regularis est; non duo lectores, sed vnus sufficit, cum vna tantum sit ecclesia, & proinde vno iure censeri debet, ca. cognouimus, 2. q. 1. cui lectori vbi præbendæ non sunt, de stipendio prouidendum est; & ceteris paribus canonicè eundem ecclesiæ alij externo præferendus est, arg. c. nullus. d. 61.

TITVLVS V.

De Iudæis.

SUMMARIUM.

- 1 Filij hereticorum, & Iudæorum non sunt ordinandi.
- 2 Vendere Iudæis ramos myrri ad finem celebrandi scenophegia non licet.
- 3 Vjuras, qui iuste cum conuenientibus Capitulis Iudæis per mittit, ad eas soluendum compellere potest.
- 4 Vjuras concedendi licentia concessa a Papa, non se extendit extra terras ecclesie in temporalibus subiectas.
- 5 Papa Iudæis permittere potest vjurarum exercitium.
- 6 Arma deferentes infidelibus, an, & quando peccant, & absoluendi sint.
- 7 Arma fabricare, fideles inter Turcas habitantes an possint.
- 8 Christiani in terris Turcarum habitantes, an equos illis vendere possint.
- 9 Christiani inter Turcas commorantes, an milites stipendia rj esse queant.
- 10 Sacri, & alia vasa aenea, uel ferrea an inter arma Turcis deferri prohibita censeantur.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 22. de Hereticis.

1 **F**ilij hereticorum quorum patentes damniati fuerunt, & ipsi, vel statua, vel ossa eorum combusta sunt, & etiam Iudæorum, iad sacros ordines vsque ad quartam generationem promoueri non possunt, vt habetur per Paul. III. Extrauag. an. Cum ex Apostolatus. constit. 42. & Gregor. XIII. Extrauag. edit. 1573. quod idem de descendentijs a Mauris intelligendum est, nec possunt tales in Guardianum, Prælatum, aut Prouincialem eligi, aut ad prædicandum admitti.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 1.

2 **V**enditio ramusculorum myrri, quibus vtuntur Iudæi in festo Scenophegiæ celebrando, per se considerata peccatum non est, nec aliquod secum peccatum admixtum habet, sed efficitur peccatum, etiam mortale solum ob circumstantiam malam finis mortaliter mali, ex S. Tho. 1. 2. q. 18. art. 4. & 7. quandoquidem eos venderet Hebræis ad finem, vt ipi si eis ad scenophegia celebranda vtantur: Sin vero in eorum venditione finis bonus apponatur, puta ob quarendam sibi pecuniam, qua se sustentent, vel alia eis honestè vtantur, nullum omnino peccatum in eorum venditione admittitur, ita Nau. in Man. ca. 17. nu. 195.

DE.